

No. 141. 1247. 20. Juni.

*P. Innocenz IV. gestattet dem Notar des Markgrafen Heinrich des Erlauchten Mag. Christoph neben der Domherrnstelle im Hochstift Naumburg event. auch eine solche in Meissen anzunehmen. Vgl. No. 152.*

Innocentius episcopus etc. dilecto filio magistro Christoforo notario nobilis viri . . marchionis Misnensis salutem etc. Cum sicut te accepimus intimante in Numburgensi ecclesia, in qua praebendam obtines, statutum huiusmodi habeatur, quod praebenda canonici eiusdem ecclesiae ipso iure vacet, si praebendam in alia cathedrali ecclesia fuerit assecutus, tuque statutum huiusmodi iuraveris servaturum: nos volentes tibi obtentu nobilis viri . . marchionis Misnensis, cuius insistis servitiis, gratiam facere specialem, praesentium tibi auctoritate concedimus, ut si praebendam in Misnensi ecclesia fueris assecutus, cum ea praefatae Numburgensis ecclesiae praebendam, praefatis statuto et iuramento nequaquam obstantibus, libere valeas retinere. Nulli ergo etc. nostrae concessionis etc. Si quis etc. Datum Lugduni XII. Kal. Julii pontificatus nostri anno quarto.

Aus dem Lib. regestor. an. IV. ep. 828. T. I. fol. 404 im Vatican. Archiv.

No. 142. 1247. 22. Sept.

*König Wenzeslaus von Böhmen eignet der Domkirche einige Dörfer in der Nähe von Stolpen.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Wenzeslaus dei gratia Bohemorum rex quartus universis praesentem paginam inspecturis salutem et omne bonum. Ne ea, quae a nobis pia devotione geruntur, ab aliquo valeant in posterum annullari, ad aeternam rei memoriam scripti fecimus testimonio perhennari. Hinc est, quod universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris volumus notum esse, quod nos ob petitionem venerabilis domini Conradi Misnensis episcopi et ad petitionem dilectae sororis nostrae Agnetis, nec non pro remedio animae dilecti filii nostri Watzlai, proprie[tatem] villarum Dobrawe<sup>a)</sup>, Rudegersdorf et Helwigesdorf<sup>b)</sup> cum attine[n]tiis suis, pascuis, areis, agris, aquis, silvis, venationibus, iurisdictionibus, cum [decimis] et fructibus universis et cum utilitate, quae nunc inest vel inesse poterit in futurum, sancto Johanni evangelistae sanctoque Donato martyri gloriosis patronis in Misne, dedimus pleno iure auctoritate nostra regia pacem firmantes ecclesiae praenotatae ac districtius inhibentes, ne quis ipsam in dicta proprietate et attinentiis omnibus molestet aliquatenus aut perturbet. Ut autem haec donatio rata maneat in futurum, praesentem paginam desuper conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum in Camich<sup>c)</sup>, per manum Herborti curiae nostrae notarii, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XLVII<sup>o</sup>. X. Kalendas Octobris indictione quinta.

Nach dem schadhaft gewordenen Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem grossen Siegel des Königs und Rücksiegel an Fäden von rother und blassgelber Seide.

Fehlerhaft Gercken Hist. d. Stadt Stolpen S. 550 und Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 64.

a) Dobra, Par. Porschendorf. b) (Dürr-) Röhrsdorf und Kleinhelmsdorf, Par. Dittersbach. c) Kamnik, jetzt verfallenes Bergschloss bei Leitmeritz.